



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 40. Nuncius de recens invento, occupatoque Mexico ad Carolum delatus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

## §. XL.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1519*Nuncius de recens detecto, occupato-  
que Mexico ad Carolum  
delatus.*

Sub idem ferme tempus raro felicitatis  
concurfu Rex denuo nuncium non  
minus faustum quam gratum accepit; si-  
gnificabatur enim illi, quod Ferdinandus  
Cortefius Mexicanam Insulam occupasset.  
Sita est hæc regio in America Septen-  
trionali, tamque amplo protenditur spa-  
tio, ut a Chiagra flumine, quod Panamæ  
Isthmum alluit, usque ad fluvium Borea-  
lem, ubi sese in mare purpureum de-  
volvitur, longitudinem suam ad sexcentas  
circiter leucas porrigat. Vela fecit Cor-  
tesius Sant. Jagi die decima octava No-  
vembris Anno post Christum natum mil-  
lesimo quingentesimo decimo quinto, quo  
Havanam appulsus, exercitum suum  
prorsus exiguum in undecim centurias  
distribuit, earumque unam singulis suis  
navibus imposuit; inde vero die decima  
Februarii anno quingentesimo decimo  
nono supra millesimum profectus, Ta-  
buscum, quod Mexici Provincia est, per-  
venit, ibidemque die vigesima quinta  
Martii insignem plane victoriam de Indis  
reportavit, ac continuato fortunæ cursu  
usque ad Quiabistanum procurrens, eo-

*Anton. Vera  
hist. Car. V.**p. 24.**Ant. de Solis  
hist. nov.  
Hispan.**Diego de Cis-  
nero de Ser.  
de la Ciud de  
Mex.**Pet. Martyr.  
decad. 5 c. 1.**in vit. Cortes.  
Raynald. an.**1519. n. 69.**ann. 1520.**n. 96.*

H h 5 dem

Sæcul. XVI. dem loco urbem condidit, quæ *Vera*  
A.C. 1519. *Crux* appellata est. Ast Cortesius post  
 nonnullas expeditiones feliciter confe-  
 ctas, cum ejus cor in ampliores spes assur-  
 geret, ipsum Mexicum, imperii hujus  
 caput, armis invadere, stupendo prorsus  
 consilio constituit, ac octava Novem-  
 bris die secundo vento illuc profectus est:  
 adventantem Imperator, Motezuma no-  
 mine, extra urbis suæ mænia obviam  
 procurrens excepit; ambo aliquamdiu  
 conjunctissime vivebant; verum Corte-  
 sius comprobata Regis hujus perfidia,  
 eundem in vincula conjici jussit, eumque  
 celebratis Ordinum comitiis compulit,  
 ut regnum suum Carolo Hispaniarum  
 Regi subjiceret, confecto hanc in rem  
 instrumento publico, quod per totum de-  
 nique Regnum solemnè pompa promul-  
 gatum est.

Hoc facto Cortesius Aloysium Fer-  
 nandez, Portocarerum, & Franciscum  
 Montejum in Hispanias ablegabat, qui  
 Regi prima novæ hujus felicitatis auspi-  
 cia nunciarent, simulque sexcenta aureo-  
 rum millia tributi nomine exacta defer-  
 rent. Quinta hujus summæ pars Hispan-  
 iarum Regi reservabatur, totidemque  
 pecuniæ pro Cortesio, publicisque ne-  
 cessitatibus expendebantur, residuum ve-  
 ro inter Duces, militesque Hispanos di-  
 stribuebatur, detractis tamen his, quæ  
 pro

pro instruenda classe, æreque alieno pe-  
 nitus solvendo destinabantur. Cum ve-  
 ro invidia perpetuo sit mærori obnoxia,  
 ita Didacus Velasquez Insulæ Cubæ gu-  
 bernator de aliena, quam Cortesius sibi  
 acquisierat, gloria tristis, eundem iniquis  
 consiliis perdere animo constituit; quin  
 imo adversus illum copias in aciem edu-  
 xit, eisque Pamphilum de Narbaes præ-  
 fecit; vicit tamen Cortesii fortitudo;  
 quippe Pamphilus capitur, omnesque ejus  
 milites ad Cortesii vexilla transeunt. Ast  
 Hispani viribus aucti secundis hucus-  
 que rebus modum imponere, brevi ne-  
 gligebant, in tantas crudelitates effusi,  
 ut non levem nomini suo labem inferen-  
 tes, ab ipsis nationis suæ Viris probi-  
 tate ac genere conspicuis veluti huma-  
 nitatem exuisse, merito redarguerentur.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1519.

## §. XLI.

*Fretum Magellanicum apertum.*

Post tam amplam detecti Mexici pro-  
 speritatem, rerum series nos ad ter-  
 ras Polo Antarctico magis propinquas  
 deducit, quas sub felicissimis Caroli Cæ-  
 saris auspiciis Ferdinandus Magellanus  
 seu Magelhaëns Lusitanorum Bellidux  
 detexerat. Is, cum a Lusitanæ Rege  
 suum sibi stipendium medio nummi au-  
 rei pretio singulos in menses augeri pete-  
 ret,

Anton. Vera  
 hist Carol. V.

p. 25.  
 Ferdin. Fi-  
 zarro illust.

de nuevo  
 Mundo col-  
 lect. rer.

Indic. c. 3.  
 Osor. l. II.

Maff. l. 8.

ret,